



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

III. Qualis sit divisio Substantiæ in 1^{am} & 2^{am}.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

re autem entium materialium (id est, quæ in ordine, in quo ponitur materia, reponuntur) materia 1^a, saltem ut quod 1^o, naturaliter est affecta formâ, quæ dat esse subsistens; & in genere entium formalium, (id est, quæ in eo ordine, in quo ponitur forma, reponuntur) forma Substantialis, saltem ut quod 1^o naturaliter est affecta formâ, quæ dat esse subsistens, ut omnes fatentur. Unde ad argumentum directè Respondendo, *Quantitatem* in composito quantum ex materia 1^a & Quantitate, minus esse affectam formâ, quæ dat esse subsistens, quam formam ignis; quia in eo ordine reponitur, in quo ponitur materia; utpotè materiæ proprietates, & materia est in eo ordine, saltem ut quod 1^o naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens: forma autem ignis, utpotè in ordine, in quo forma reponitur, posita, est saltem ut quod in eo ordine 1^o, naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens, ut omnes fateri tenentur. Si autem quæras, cur albedo v. g. in albo ex materia 1^a & albedine non tam censetur 1^o naturaliter affecta formâ, quæ dat esse subsistens, quam forma ignis in composito ex materia 1^a & ipsa. Respondendo (quandoquidem, ut probabimus in Physica, experientia non vincat in igne, & sic de aliis, dari formam Substantialem) Rationem debere sumi ex communi sensu, quo omnes fatentur, formam ignis 1^o in suo ordine, id est, in ordine formarum, naturaliter affici formâ, quæ dat esse subsistens; non ita albedinem, ut etiam omnes fatentur; ita autem affici formâ, quæ dat esse subsistens, est propriū Substantiæ, ut omnes unanimiter asserunt.

xxx i. Probatur itaque Resolutio nostra 1^o refutatione aliarum sententiarum, & objectionis præcedentis solutione, quæ unica contrā nostram Resolutionem vim habere posse videtur, ergo, &c.

xxx ii. Probatur 2^o ex Etymologia nominis *subsistens*; Authoritate Augustini, qui lib. de cognit. ver. vit. cap. 2^o docet, Substantiam esse, quæ *subsistat omnibus accidentibus* (puta talis compositū) & Aristotelis, qui sic definiuit Substantiam esse *ens per se existens*, ut tamen formas Substantiales agnoverit; unde necessariò sic intelligi debet, ut per ly *per se existens* intelligat 1^o *existens in suo ordine*, quod æquivalet 1^o *ut quo, vel ut quod subsistens in suo ordine*; quod *subsistens* procul dubio agnoverunt Aristoteles & Antiqui Philosophi, quidquid dicat P. Comptonus Disp. 7. Metaph. Sect. 2. num. 5^o, ergo, &c. Ex his autem:

xxx iii. Colliges, accidens esse, quidquid in suo ordine præsupponit ens affectum *ut quo, vel ens affectum ut quod formâ, quæ dat esse subsistens*. Ac proinde illud esse in subiecto inhærentis, quod est in eo, quod, in suo ordine *ut quo vel ut quod subsistens*, sibi præsupponitur; unde definitionis entis, quod juxta Aristotelem lib. 1^o. Prædicament. Divis. 2^a. est in subiecto inhærentis, hic est sensus; *illud est in subiecto inhærentis, quod est in alio sui ordinis, & non ut pars ejus essentialis, vel integralis, & tamen ita necessario, ut sine eo naturaliter esse non possit*.

D V B I V M I I.

Quid sit Substantia Prædicamentalis.

R E S O L U T I O.

xxxiv. Dico, substantia prædicamentalis est omne individuum entis per se subsistentis totalis, sive omne individuum completum, quod per se totaliter subsistit, & quidquid de eo prædicatur *in quid*, in recta linea Prædicamenta-

li, ut comprehendas Species, & Genera.

xxxv. Probatur, quia substantia Prædicamentalis est substantia completa; sed omne individuum dictum, & quidquid de illo prædicatur *in quid* in recta linea Prædicamentali, est talis substantia, ergo, &c.

D V B I V M I I I.

Qualis sit divisio Substantiæ in 1^{am}, & 2^{am}.

xxxvi. Antè Resolutionem Adverte, Philosophi mentem circa hanc divisionem valde obscuram esse, hincque fieri, quòd quisq; pro suo beneplacito, hoc vel illud divisum, in hac divisione assignet. Refellam quod communiùs dicitur, & subdam breviter, quod censeo. Quare sit

R E S O L U T I O I.

xxxvii. Dico 1^o, allata divisio non est subiecti in accidentia, hoc sensu, quòd Substantia secundum se dividatur in singularem & universalem, neque (ut communiùs volunt Thomistæ) quòd Substantia Prædicamentalis considerata præcisè secundū suam essentiam dividatur in duos diversos modos Substantiæ accidentibus, *primariò scilicet ac individualiter, & secundariò ac universaliter*.

xxxviii. Probatur 1^a pars, quia Substantia secundum se, est Substantia in communi & abstracta, formaliter per mentem, ut constat ex dictis de universalibus, quo posito, sic arguuntur. Vel Substantia secundum se dividitur in universalem & singularem, formaliter ut abstracta, vel materialiter. Si 1^{um} divisum (ut patet) est unum è membris dividendibus, scilicet universalis sive 2^a. si 2^{um}, utpotè individua ipsa, est alterum, scilicet 1^a. sive singularis; ergo divisio allata tamquam subiecti in accidentia, hoc sensu, quòd sit divisio Substantiæ secundum se, in universalem & singularem, nulla est; quia divisum non præscindit perfectè à membris dividendibus.

xxxix. Confirmatur, etiam dato, quòd Substantia secundum se, sit divisum, adhuc allata divisio non erit subiecti in accidentia, ergo, &c.

xl. Probatur assumptum, quia alterum membrum, scilicet Substantia singularis, se non habet ut accidens respectu Substantiæ secundum se; sed ut Petrus respectu hominis, qui est inferius illius, ergo, &c. Probatur hoc antecedens, quia Substantia 1^a, ex mente Aristotelis, est illa, quæ Physicè & realiter, ac proinde primariò, subsistat accidentibus; non verò illa, quæ est per intentionem 1^{am} formalem individuante, concepta ut singularis, quæ sola non est inferius Substantiæ secundum se, sed accidens, ut patet, ergo, &c.

xli. Obicies tamen, Substantia secundum se est quidem Substantia in communi & abstracta, in actu exercitio, non tamen in actu signato, qualis est 2^a. sive universalis. Unde divisum adhuc perfectè præscindit ab altero membro dividente, ergo est bona divisio illius in duo accidentia.

xlii. Respondeo 1^o, transeat antecedens, nego consequentiam: nam saltem manet, quòd ex parte alterius membri dividendis non sit divisio in accidentia, ut patet ex confirmatione. num. 39. & 40. allata.

XLIII. Respondeo 2^o, vel Substantiam secundum se dividi ut Vniversalem reduplicativè seu formaliter, vel specificativè seu materialiter; ita ut illa, quæ est Vniversalis in actu exercito dividatur. Si 1^{um}, nequit dividi in 1^{am} seu singularem Substantiam, quia 1^a non est Vniversalis. ut Vniversalis reduplicativè, sed specificativè ut summum: si 2^{um}, nequit dividi in 2^{am}, quia ut sic est 1^a nam Substantia Vniversalis ut Vniversalis specificativè, est multæ singulæ & 1^a, aptæ concipi conceptu universalificante, quæ sunt unum è membris dividendibus, & dividi non possunt in 2^{am}, sive Vniversalem in actu signato, ut patet. Quod autem aliqui adferunt ex D. Thoma, Substantiam secundum se non dicere nisi prædicata sua essentialia, inter illa includunt hæcceitatem, vel omnino falsum est; quia præterquam quod supra Disp. 4. de Specie Dub. 2^a. ostendimus, hæcceitatem esse magis rigorosè essentialiam, quam sit Differentia specifica, omnia prædicata essentialia ex parte objecti sive naturæ sunt formalissimè hoc, ut probatum est Tract. 1^o. Disp. 2^a Dub. 4^o & Tract. 2^o. Disp. 5^a. de Individuo Dub. 3^o. nisi sumantur formaliter ut confusè concepta in actu exercito; verum hoc modo sunt unum ex membris dividendibus, ut constat ex dictis.

XLIV. Probatur 2^o, quia Substantia prædicamentalis considerata præcisè secundum essentiam est in communi & abstracta, ut patet ex dictis. Quo posito, sic argumentor, vel Substantia præcisè considerata secundum essentiam, dividitur in modos

substanti Accidentibus primariò & individualiter, ac secundariò & Vniversaliter, formaliter ut in communi & abstracta, vel materialiter: si 1^{um}, ergò divisum includit unum è membris dividendibus, scilicet modum substanti accidentibus secundariò & Vniversaliter: Si 2^{um}, ergò includit alterum scilicet modum substanti accidentibus primariò & individualiter, quia ut sic est ipsæ Substantiæ singulæ, ut diximus. Ergò divisio Substantiæ præcisè considerata secundum essentiam tamquam Substantiæ in duos substanti accidentibus modos, primariò scilicet & individualiter, & secundariò ac Vniversaliter nulla est, propter rationem supra datam. Ex his

XLV. Colliges. allatam divisionem nullatenus esse communem univocam in duo univoca univocata, quia hæc deberet aliquid addere supra rationem communem, & præterea illa ab illis perfectè præscindere, quæ hic non reperiuntur.

RESOLUTIO II.

XLVI. Dico 2^o. allata divisio non est vera divisio, sed enumeratio Substantiarum, quæ sub Substantia principe sive supremo Genere collocantur, quasi diceretur; sub Substantia prædicamentali in Genere, alia est Vniversalis, alia singularis; sub Platone, alius secundus Discipulus, alius primus, &c.

XLVII. Probatur, quia ut Resolutione 1^a. probatum est, non apparet quodnam ibi sit divisum & qualis sit divisio, ergò, &c.

DISPUTATIO SECVNDA

De Quantitate.

D V B I V M I.

Quæ divisiones Quantitatis.

XLVIII. Nullam definitionem Quantitatis hic tradit Aristoteles, sed ad illius divisiones immediatè procedit. Quare, sit

RESOLUTIO.

XLIX. Dico Quantitas dividitur 1^o. in discretam & continuam.

I. Discreta est cuius partes nullo termino communi copulantur, ut binarius, ternarius, &c.

II. Continua è contrà cuius partes termino communi copulantur, ut linea, superficies, &c. Vbi per terminum aliquid indivisibile intellige, vel simpliciter, ut instans in tempore, punctum in linea; vel secundum quid, id est, secundum unam dimensionem, ut linea in superficie, superficies in corpore: hæc autem dicuntur terminus communis, quia sunt finis unius partis, & initium alterius.

III. Quantitas Discreta subdividitur in successivam & permanentem. Discreta successiva est, cuius partes, nec termino communi copulantur, nec possunt esse simul, ut oratio.

IV. Discreta permanens est cuius partes non copulantur termino communi, sed tamen possunt esse simul, ut numerus rerum permanentium, qui ulterius subdivi-

vidi potest in binarium, ternarium, &c.

LV. Quantitas continua etiam subdividitur in successivam & permanentem.

LV. Continua successiva est cuius quidem partes termino communi copulantur, sed non possunt esse simul, ut tempus.

LVI. Continua permanens est cuius partes termino communi copulantur, & possunt esse simul, ut linea. Quantitates autem continuas Aristoteles quinque adfert; lineam scilicet, superficiem, corpus, locum & tempus.

LVII. Linea est res longa, carens latitudine & profunditate, cuius partes puncto copulantur.

LVIII. Superficies est res longa & lata, carens profunditate, cuius partes linea copulantur.

LIX. Corpus est res sive longitudo (ut excludas corpus completum de prædicamento substantiæ, & incompletum partem viventis) lata & profunda, cuius partes superficies copulantur. Pro quibus

XX. Nota Mathematicos, ut facilius quid linea, superficies & corpus concipiant, rectè sibi representare ex recto fluxu puncti fieri lineam, ex fluxu lineæ superficiem, & ex fluxu superficiæ corpus.

XI. Locus est superficies corporis continens locatum, ut v. g. aeris superficies, quæ proximè ambit turrim.

LXII. Tempus denique est quantitas successiva, cuius partes instanti copulantur: partes autem temporis sunt præteritum, præsens & futurum.

LXIII. Dividitur 2^o. Quantitas in Quantitatem per